



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

im ANNO
r, CHRISTI
na 1415. *Statim post & ante prandium de mandato quatuor præsiden-
tium quatuor nationum, in ecclesia sancti Stephani Constantien-
si, & in bancho audientiæ literarum contradictarum, reuerendo
patre domino Iacobo de Camplo electo Pennensi, locum tenente au-
ditorum audientiæ contradictarum, ibidem ad banchum sedente,
ad horam illam pro audience contradictarum, & actum infra-
scriptum faciendum deputato, præsentibus reuerendissimis patribus
dominis Ioanne patriarcha Antiocheno, & Ioanne archiepiscopo
Rigeni, de mandato eiusdem domini Iacobi locum tenentis, vene-
rabilis vir dominus Nicolaus de Hubancho lector literarum de iu-
stitia, & aliarum quæ inibi legi solent, legebat, & executus fuit
citationem supra proximam personam Synodus decretam ad im-
stantiam magistri Henrici de Piro promotoris & instigatoris dicti
Concilii. Qualecta & executa, idem Henricus petiit sibi fieri de
huiusmodi lectura & publicatione publicum instrumentum, præ-
sentibus ibidem magistris Henrico Golthardi, Joanne de Vonrade,
notariis publicis, & domino Petro Vuithoge presbytero, Mogun-
tinensis, Leodiensis & Traiectensis diaconis, testibus ad præ-
missa vocatis & rogatis.*

SESSIO VIII.

DIE Sabbati quarta mensis Maii prædicti fuit sessio generalis in cathedrali ecclesia Constantiensi supradicta, in qua more solito fuit dictum officium Missæ per reuerendissimum in Christo patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum de beata Virgine. Quo officio completo, legebantur litaniae, ut in sessionibus fieri consuetum est, cum euangelio, dicto & cantato, fuit cantatus *Attendite a falsis prophetis*, *introitus, Exaudi nos Domine*, &c. In sessione inter cardinales præsidebat dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. In qua etiam sessione fuit serenissimus Romanorum & Hungariae rex, tamquam imperator cum insigniis regalibus & nobilibus suis, *&c. cum collectis suis & litanis, ac euangelio, Attendite a falsis prophetis, &c. & aliis orationibus, ac hymno, Veni creator Spiritus, sicut in aliis sessionibus. cui inter cardinales astabant domini Iordanus de Vrsinis, Angelus Laudensis, Albanensis & Tusculanensis episcopi: præsentibus ibidem reuerendissimis patribus Vilhelmo sancti Marci, Antonio de Salancho, Amadeo Salutarum, Ludouico de Flisco, Concil. Tom. 29.*

O o ij

Landulpho Barenſi & Franciſco Florentino cardinalibus. Deinde omnibus bis peractis, reuerendus pater dominus Vitalis episcopus Tolonenſis natione Gallicus ascendebat ambonem, & fecit ſermonem ad clerum cum themate: Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, &c. Quofermone factō, surrexerunt magiſtri

ANNO
CHRISTI
1415.

Henriſus de Piro & Joanne de Scribanis promotores & procuraſtores Concilii & Synodi. Henricus loquens praefentauit citationem ad valuas ecclesiæ maioris & audientiæ contradicitarum affixam, nec non unam aliam in audientia cauſarum lectam, & citatorum in eisdem citationibus non comparentiū, neque memoriam, hæresimque ac dogma quondam Ioannis Vuicleff, minime, quare condemnari non debet, videre curantium contumaciam accuſarunt.

Ipsosque contumaces reputari petierunt, & in eorum contumaciam pronuntiari, decerni & declarari dictum quondam Ioannem Vuicleffuiſſe, dum vixit, notorium hæreticum & pertinacem, ac finaliter deceſſiſſe ab hac luce impænitentem: ipsiusque memoriam, errores, prætensis doctrinas & dogmatizationes, & præfertim quadragintaquinque cum ducentis sexaginta articulos per eum conclusos, condemnandos fore, & per ſanctam uniuersalem Synodum Conſtantinensem, ac paternitates quatuor prælatorum pro præſenti die potestatem habentium, loco & nomine quatuor nationum condemnari, ac eius ossa, si ab aliorum Christi fidelium ossibus separari poſſint & ſecerni, exhumari & protici mandari, aliasque pronuntiari, decerni & declarari, definiri atque fieri quod iustum fuerit & expediens fidei orthodoxæ, inſtanter poſtularunt.

Et domino Pileo archiepiscopo Ianuensi electo ad legendum quæ legi debebant nomine Concilii, reuerendis patribus dominis Ioanne episcopo Lutomuslenſi pro natione Germanica, Antonio episcopo Concordiensi pro natione Italica, Tolonenſi episcopo pro natione Gallica-na, & Guillermo abbate monasterii sanctæ Mariæ extra muros Eboraci pro natione Anglicana, ad approbandum loco & nomine nationum, ascendentibus in locum, in quo huiusmodi iuxta determinationem Synodi fieri debabant, idem reuerendus pater dominus Pileus archiepiscopus Ianuensis in ambone legit primo capitulum, Firmiter credimus. Quo lecto, domini imperator, præſidens, & alii approbauerunt, & ita crediderunt.

Et ulterius idem archiepiscopus Januensis, in contumaciam accuſatorum prædictorum, per dictos promotores pronuntiauit, diffi-

niuit & declarauit, prout in quadam papyri pronuntiationis schedula, cuius tenor inferius est insertus, continetur, condemnando memoriam ipsius Ioannis Vuicleff & suorum sequacium, quo ad quadraginta quinque articulos condemnatos in Parisiensi & Pragensi studiis: & licet quo ad ducentos & sexaginta articulos incepisset legere, ac omnes fuissent contenti de quadraginta quinque articulis, primo tamen ex interruptione domini Guilielmi cardinalis sancti Marci interueniente, ipsi ducenti & sexaginta articuli, & eorum lectura & condemnatio, fuerant reseruati ad proximam sessionem generalem. Super quibus lectura, publicatione, pronuntiatione & diffinitione, siue condemnatione, dicti promotores petierunt approbationem a domino praesidente, & a dictis Lutomuſlenſi, Concordienſi, Tolonensi, & abbe sanc̄e Mariæ petierunt responderi, an placet. Domini vero praedicti, primo dominus Ioannes Ostiensis praesidens approbauit. Subsequenter qui libet pro natione sua approbauit. Super quibus iidem promotores, Henrico loquente, petierunt per reuerendos patres dominos sedis apostolicæ protonotarios, ceterosque notarios quatuor nationum, & tabelliones quoscumque ibidem praesentes, unum vel plura fieri publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Presentibus ibidem illustribus principibus supradictis, nec non Poloniæ, Noruegiæ, Suecæ, Daciæ, Cypri, Franciæ ambasatoribus, ac multitudine Christianorum copiosa.

Tenores vero dictarum citationum & sententia diffinitiua cum insertione articulorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

Sacrosancta Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, uniuersalem ecclesiam militantem representans, quibuscumque damnandam memoriam, haeresimque & peruersa dogmata quondam Ioannis Vuicleff damnandæ memoriae defensare volentibus, spiritum intellectus sanioris & ad cor reuerti.

Licet plerisque vicibus nonnulli ex vobis se disputaturos in publico, & damnandam memoriam dicti Ioannis multifarie per multa particularium locorum studia uniuersalia, iam damnata & reprobata, fama vaga & mortua obtulerunt scriptura defensuros, nosque, si qui estis, crebris vos vicibus benigne audituri, & etiam in sacro Romano Concilio generali ultimo celebrato, ad id peremptorie citatos expectauerimus, ad lucem tamen minime pro-

perantes, amplius vestra exigente contumacia, dissimulare nequit
uimus. Quare promotoribus & procuratoribus nostris ad id instan-

LNC. 13.

tibus, & ne fucus fatua suos extendat palmites, quae ad nihilum,
sacro testante eloquio, utilis est, nisi ut eradicata comburatur: vos
que omnes alios & singulos, ipsam perfidam doctrinam Ioannis
Vuicleff dogmatizantes, aut etiam quibusuis rationibus vel apparatibus fucatis sophismatibus defensare præsumentes, tenore
præsentium ex abundantia citamus, quatenus hodie, quæ est
dies quarta mensis præsentis Maii, compareatis & compareant
Constantiæ in ecclesia maiori in publica sessione post Missam de
Spiritu sancto celebrandam hora Tertiæ, ad videndum &
audiendum dictum quondam Ioannem Vuicleff diffinitive pronun-
tiari & declarari, fuisse, dum vixit, notorium hereticum &
pertinacem, ipsiusque memoriam & errores, peruersasque doctrinas
& dogmatizationes, & præsertim quadragintaquinque articu-
los damnari, & eiusdem ossa, si ab aliorum Christi fidelium ossibus
secerni possint, exhumari & proici, vel ad dicendum, proponen-
dum & allegandum causas rationabiles, si quas habeatis & ha-
beant, cur premissa fieri non debeant. Certificantes vos & quemlibet
vestrum, quod siue comparere curaueritis, siue non, nos nihil
minus ad premissorum executionem auctore Deo procedemus, pro-
ut orthodoxæ fidei fundamentum exigit, ratioque dictauerit, &
iuris ordo. Datum Constantiæ die quarta mensis Maii prædicti,
anno Domini millesimo quadrageentesimo decimoquinto, sub sigillis
quatuor præsidentium quatuor nationum.

Sacrosancta Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, vniuersalemque ecclesiam militantem repræsentans, mandat in audientia publi-
ca literarum contradictarum domini nostri papæ citari, & ci-
tat quo scumque damnatam memoriam, heresimque & dogmata
peruersa quondam Ioannis Vuicleff damnandæ memorie defen-
sare volentes, & perfidam doctrinam eiusdem Ioannis dogmati-
zantes, aut etiam quibusuis rationibus vel apparatibus fucatis
sophismatibus defensare præsumentes, quatenus hodie compareant
Constantiæ in ecclesia maiori in publica sessione post Missam de
Spiritu sancto celebrandam hora Tertiæ, ad videndum &
audiendum, dictum quondam Ioannem Vuicleff diffinitive pro-
nuntiari & declarari, fuisse, dum vixit, notorium hereticum &
pertinacem, ipsiusque memoriam & errores, peruersasque
doctrinas & dogmatizationes, & præsertim quadragintaquin-

ANNO
CHRISTI
1415.

ANNO CHRISTI 1415. que articulos condemnari, & eiusdem offa, si ab aliorum Christi fidelium offibus secerni possint, exhumari & proici, vel ad dicendum & proponendum ac allegandum causas rationabiles, si quas allegare voluerint, cur præmissa fieri non debeant. Alioquin ad præmissorum executionem, & ulteriora (auctore Deo) procedetur, prout orthodoxæ fidei fundamentum exigit, ratioque di-
stauerit, & iuris ordo, citatorum contumacia, seu absentia non obstante.

Datum Constantiæ die quarta mensis Maii prædicti, pontifi-
catus domini Ioannis papæ XXIII. anno quinto.

Deinde legit sententiam damnationis doctrinæ Ioan-
nis Vuicleff, & articulorum quadragintaquinq[ue], cuius
tenor sequitur, & est talis.

Sententia damnationis doctrinæ Joannis Vuicleff, & articu-
lorum quadragintaquinq[ue].

Sacrosancta Constantiensis Synodus, generale Concilium faciens,
& ecclesiam catholicam repræsentans, ad extirpationem
præsentis schismatis, errorumque & hæresum sub eius um-
bra pullulantium eliminationem, ac reformationem ecclesiae,
in sancto Spiritu legitime congregata, ad perpetuam rei me-
moriā.

Fidem catholicam, sine qua (vt ait Apostolus) impossibile est placere Deo, a falsis eiusdem fidei cultoribus, imo per-
ueris impugnatoribus, & per superbam curiositatē in-
tendentibus plus sapere quam oportet, mundi gloriam
cupientibus, oppugnatam sèpius, & contra illos per fide-
les ecclesiæ milites spirituales opposito scuto fidei defensa-
tam fuisse, sanctorum patrum scripturis atque gestis in-
struimur. Hæc quippe bellorum genera in bellis carna-
libus Israelitici populi aduersus gentes idololatras præsi-
gnata fuerunt. In his itaque spiritualibus bellis sancta ec-
clesia catholica in fidei veritate superni luminis radiis illu-
strata, Domino prouidente, & sanctorum patrocinio o-
pem ferente, semper immaculata permanens, erroris te-
nebris velut hostibus profugatis, gloriosissime triumpha-
uit. Nostris vero temporibus vetus ille & inuidus hostis
noua certamina (vt probati temporis huius manifesti fiant)
fuscitauit, quorum dux & princeps extitit quondam Ioan-

In libro Nu-
merorum
maxime, &
alibi.

nes Vuicleff pseudochristianus, qui dum viueret, aduersus religionem Christianam & fidem catholicam pertinaciter afferuit & dogmatizauit plures articulos, quorum quadragintaquinque huic paginæ duximus inferendos, qui sequuntur.

Articuli Joannis Vuicleff.

1. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, manet in sacramento altaris.
2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.
3. Christus non est in eodem sacramento idemtice & realter in propria præsentia corporali.
4. Si episcopus vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.
5. Non est fundatum in euangelio, quod Christus Missam ordinaruerit.
6. Deus debet obedire diabolo.
7. Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.
8. Si papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.
9. Post Vrbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed viuendum est more Græcorum sub legibus propriis.
10. Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.
11. Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum esse excommunicatum a Deo: & qui sic excōunicat, est hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.
12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est regis & regni.
13. Illi qui dimittunt prædicare, siue audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die iudicii traditores Christi habebuntur.
14. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate sedis apostolicæ vel episcopi catholici.

15. Nul-

15. Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.
16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia, possessionatis habitu alter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu, delinquentibus.
17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.
18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum auferre eas.
19. Speciales orationes applicatæ vni personæ per prælatos, vel religiosos, non plus profundit eidem quam generales, ceteris paribus.
20. Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto.
21. Si quis ingreditur religionem priuatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obseruantiam mandatorum Dei.
22. Sancti instituentes religiones priuatas, sic instituendo peccauerunt.
23. Religiosi viuentes in religionibus priuatis, non sunt de religione Christiana.
24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.
- * Prima pars est scandalosa & præsumptuose asserta, pro quanto sic generaliter & indistincte loquitur: & secunda erronea, pro quanto afferit mendicitatem fratribus non licere.
25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subuenientibus.
26. Oratio præsciti nulli valet.
27. Omnia de necessitate absoluta eueniunt.
28. Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur papæ & episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.
29. Vniuersitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum profundit ecclesiæ sicut diabolus.

Concil. Tom. 29.

Pp

30. Excommunicatio papæ vel cuiuscumque prælati non est timenda , quia est censura antichristi.
31. Peccant fundantes claustra; & ingredientes, sunt viri diabolici.
32. Ditare clerum, est contra regulam Christi.
33. Silvester papa & Constantinus imperator errauerunt ecclesiam dotando.
34. Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici : & dantes eis eleemosynam , sunt excommunicati.
35. Ingredientes religionem aut aliquem ordinem , eo ipso inhabiles sunt ad seruandum diuina præcepta , & per consequens ad perueniendum ad regna cælorum, nisi apostatauerint ab eisdem.
36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici , eo quod possessionem habent , & consentientes eis , omnes videlicet domini sacerdotes , & ceteri laici.
37. Ecclesia Romana est synagoga satanæ , nec papa est immediatus & proximus vicarius Christi & apostolorum.
38. Decretales epistolæ sunt apocryphæ , & seducunt a Christi fide : & clerici sunt stulti qui studient eas.
39. Imperator & domini sacerdotes seducti sunt a diabolo, vt ecclesiam dotarent bonis temporalibus.
40. Eleætio papæ a cardinalibus , per diabolum est introducta.
41. Non est de necessitate salutis credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesiæ.
- * Error est, si per Romanam ecclesiam intelligat vniuersalem ecclesiam , aut Concilium generale , aut pro quanto negaret primatum summi pontificis super alias ecclesiæ particulares.
42. Fatuum est credere indulgentiis papæ & episcoporum.
43. Iuramenta illicita sunt , quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia ciuilia.
44. Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc , quod habuerunt possessiones, & instituerint , & intrauerint religiones : & sic a domino papa usque ad infimum religiosum omnes sunt hæretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Idemque Ioannes Vuicleff libros dialogum & trialogum per ipsum nominatos, & plures alios tractatus, volumina & opuscula composuit, in quibus præscriptos & plures alios damnabiles inseruit & dogmatizauit articulos: quos libros ad sui peruersi dogmatis publicationem publice legendos exposuit, ex quibus insuper multa scandala, damna animarum & pericula in diuersis regionibus, & præsertim Angliæ & Bohemiae regnis, secura sunt: aduersus quos articulos atque libros in Dei veritate exurgentes magistri & doctores vniuersitatum & studiorum Oxoniensis & Pragensis, articulos prædictos scholaſtice diu post reprobarunt. Reuerendissimi insuper patres, archiepiscopi, episcopi, pro tempore Cantuariensis & Eboracensis, sedis apostolicae legati in Angliæ, & Pragensis in Bohemiae regnis, condemnarunt. Libros etiam eiusdem Ioannis Vuicleff comburendos fore, dictus archiepiscopus Pragensis sedis apostolicae commissarius in hac parte fententialiter iudicauit, & eorum qui superessent, prohibuit lectionem.

Rursus his ad notitiam sedis apostolicae & generalis Concilii deductis, Romanus pontifex in Concilio Romano ultimo celebrato, dictos libros, tractatus & opuscula condemnauit, iubens illos publice concremari, districtius inhibendo, ne quis Christi nomine insignitus auderet aliquem seu aliquos seu aliqua ex dictis libris, voluminibus, tractatibus & opusculis legere, expondere vel tenere, aut illis quomodolibet vti, vel illos, nisi in ipsorum reprobationem, allegare publice vel occulte. Et ut de medio ecclesiæ illa periculosa spurcissimaque doctrina eliminaretur, iussit omnes per locorum ordinarios, libros, tractatus, volumina & opuscula huiusmodi, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam (etiam si opus esset, cum adiectione, quod contra non parentes procederetur tamquam contra fautores hæresis) diligenter inquire, & repertos ac reperta publice ignibus concremari.

Hæc autem sancta Synodus præfatos articulos quadragintaquique examinari fecit, & sèpius recenseri per plu-

Concil. Tom. 29.

Pp ij

res reuerendissimos patres ecclesiæ Romanæ cardinales, episcopos, abbates, magistros in theologia, doctores iuris vtriusque, & plures notabiles in multitudine copiosa : quibus articulis examinatis, fuit repertum (prout in veritate est) aliquos & plures ex ipsis fuisse & esse notorie haereticos, & a sanctis patribus dudum reprobatos ; alios non catholicos, sed erroneos ; alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensiuos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos. Compertum est etiam libros eius plures alias articulos continere similium qualitatum, doctrinamque in Dei ecclesia vesanam, & fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine Domini nostri Iesu Christi hæc sancta Synodus sententias prædictorum archiepiscoporum ac Concilii Romani ratificans & approbans, prædictos articulos & eorum quemlibet, libros eiusdem dialogum & trialogum per eumdem Ioannem Vuicleff nominatos, & alias eiusdem auctoris libros, volumina, tractatus & opuscula, quocumque nomine censeantur, quos hic haberi vult pro sufficienter expressis, hoc perpetuo decreto reprobat & condemnat. Et eorumdem librorum & cuiuslibet ipsorum lectionem, doctrinam, expositionem & allegationem, nisi ad eorum reprobationem, omnibus Christi fidelibus prohibendo, inhibemus omnibus & singulis catholicis sub anathematis interminatione, & ne de cetero dictos articulos, vel ipsorum aliquem audeant publice prædicare, dogmatizare, tenere, vel quomodolibet allegare, nisi ad eorum reprobationem, ut dictum est, iubens illos libros & tractatus, volumina & opuscula prælibata publice concremari, prout decretum fuerat in Synodo Romana, sicut superius est expressum. Super quibus & exequendis & debite obseruandis, mandat prædicta sancta Synodus ordinariis locorum vigilanter intendere, prout ad quemlibet pertinet, secundum iura & canonicas sanctiones.

Quia vero libris prædictis diligenter examinatis per doctores & magistros uniuersitatis studii Oxoniensis, ultra dictos quadragintaquinque articulos, ducentos sexaginta extra pendentes colegerunt, quorum aliqui cum supradictis in sententia coincidunt, licet non in eadem forma verborum: & sicut de aliis superius dictum est, quidam ipsorum erant & sunt haeretici, quidam

ANNO CHRISTI 1415. *seditiosi, quidam erronei, alii temerarii, nonnulli scandalosi, alii infani, nec non omnes pene contra bonos mores & catholicam veritatem, fuerunt propterea per dictam uniuersitatem scholastice & debite reprobati. Hæc igitur Synodus sacroſancta cum deliberatione qua supra, prædictos articulos & eorum quemlibet reprobat & condemnat, prohibens, iubens, mandans & decernens, prout de aliis 45. Eorumdem ducentorum sexaginta articulorum tenores duximus inferius inferendos.*

Concilium pronuntiat hæreticum Ioannem V uicelleff, ac memoriam eiusdem condemnat, & mandat exhumari ossa ipsius.

INSVPER quia auctoritate sententiæ & decreti Romani Concilii, mandatoque ecclesiæ & sedis apostolicæ, datis dilationibus debitissimis, processum fuit super condemnationem dicti Ioannis Vuicelleff & sue memoriam, edictis propositis denuntiationibusque ad vocandum eos qui eumdem siue eius memoriam defendere vellent, si qui penitus existerent. Nullus vero comparuit, qui eumdem siue eius memoriam defensaret. Examinatis insuper testibus super impenitentia finali, pertinaciaque dicti Ioannis Vuicelleff, per commissarios deputatos per dominum Ioannem papam modernum, & hoc Concilium, seruatisque seruandis, prout in tali negotio postulat ordo iuris, de eius impenitentia ac finali pertinacia, per euidentia signa testibus legitimis comprobata, fuit legitime facta fides. Propterea instantे procuratore fiscali, editioque proposito ad audiendum sententiam ad hanc diem, hæc sancta Synodus declarat, diffinit & sententiat eumdem Ioannem Vuicelleff fuisse notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæresi deceſſisse, anathematizando ipsum pariter, & suam memoriam condemnando, decernitque & ordinat, corpus & eius ossa (si ab aliis fidelibus corporibus discerni possint) exhumari, & procul ab ecclesiæ sepultura iactari, secundum canonicas & legitimas sanctiones.

Subsequenter dicta sessione (ut præmittitur) facta de mandato dominorum præsidentium nationum, Giselerus Bouencen & ego, notarii nationis Germanice antedictæ, accessimus ad portam vulgariter Suitez port nominatam ciuitatis Constantiensis, per quam papa Ioannes dicitur fugisse, pro executione ulteriori ipsius citationis, & ibidem dictam citationem contra eum decretam, sigilla-

tam & subscriptam, clavis dictæ portæ affiximus, eamque affixam & extensam stare dimisimus per temporis spatiū, deinde amouimus, & loco eius ibidem copiam in papyro affiximus, & stare dimisimus, præsentibus ibidem probis viris, magistro Petro Bannin notario publico, Gotfrido Galsen, Henrico Opteruerde, clericis Leodiensis, Moguntinensis & Hildesheimensis diœcœsum, testibus, &c.

Die Sabbati eadem hora Vesperarum fuit congregatio generalis nationis Germanicæ. In qua primo magister Joannes Stalbergen, tamquam praepositus ecclesiæ sancti Seueri Erfordiensis, fuit intitulatus & iurauit, &c.

Subsequenter fuit ibidem per dominum Ioannem Abundi pro parte dominorum præsidentium propositum, quare ex consultaione certorum zelatorum unionis ecclesiæ Dei, deberet natio deputare tres prouidos & discretos viros, qui haberent tractare materiam unionis iuxta informationem dictorum zelatorum: & quia illa essent ipsis reuelata in secreto & arcano, ideo non esset expediens neque necessarium committi pluribus: quia timeretur, quod fraus interuenire posset, si aliqua reuelatio quæ multum foret nocuia, cum dicta materia concernat practicam ad habendam unionem in ecclesia Dei: & qua practica dimissa, forsan per modica obstatula posset impediri prædicta unio in ecclesia Dei. Et fuit deliberatum per omnes, quod deberent eligi tres de quinque aliis alias electis super materia unionis: & per illos quinque fuerunt electi hi, videlicet dominus Nicolaus Gneznenensis episcopus, Petrus Ripensis episcopus, Albertus Ratisponensis episcopus, super materia unionis.

Die Dominica, quinta mensis Maii prædicti, fuit congregatio deputatorum quatuor nationum, hora quinta, in loco in quo natio Germanica congregari solet. Et erant archiepiscopi & episcopi circiter quadraginta, abbates multi, & plures doctores de diversis studiis; nobiles insuper & ambasatores regum circa viginti. Quibus omnibus ibidem vocatis per serenissimum dominum Sigismundum Romanorum & Hungariae regem, dictoque serenissimo rege in medio ipsorum sedente, proposuit & exposuit, qualiter fecisset guerram opportunam & necessariam contra ducem Fridericum Austriae. Primo ex eo, quod idem Fridericus scandalizasset ecclesiam & Concilium Constantiense in hoc, quod abduxit Joannem papam vigesimum tertium noctis tempore, & quod non remansit pereos, quintaliter Concilium pertalem abductionem & papæ

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO CHRISTI 1415. fugam fuisse dissolutum. Item ex eo, quod nonnullos episcopos de suis sedibus expulisset, & abbates de eorum monasteriis, retinens abbatias & episcopatus in manibus propriis. Item ex eo, quod viduas & orphanos spoliaisset bonis hereditariis, quorum multi propter hoc irent mendicatum per mundum.

Et modo ille dux Fridericus, ut præfertur, vellet venire ad concordiam, & quod guerra cessaret. Quapropter petiit consilium a dominis deputatis, quid in hac materia deberet facere, & quam concordiam deberet inire; licet dixit, quod ille Fridericus forsan petat veniam, & stare velit iudicio & simplici verbo domini regis & Concilii. Etiam * quod honor ipsius regis, & eius iuramentum, quod alias dixit se fecisse, quod nunquam velit facere pacem neque treugam cum dicto duce. Et fuit per dominos deputatos disputatum & conclusum, quod ex hoc nullum incurreret perjurium, quia simpliciter eum recipere ad misericordiam, & tamquam hominem captiuum, & dominium eius captiuum. Allegabant etiam multi, quod tale iuramentum in præsenti casu non habet eum ligare. & sic habitis consultationibus, de voluntate domini regis fuerunt missi quatuor prælati ad associandum dictum Fridericum ducem usque ad præsentiam domini regis. Quibus exceuntibus, reuersi fuerunt cum eodem & illustribus principibus secum, videlicet Friderico burgraui Nurembergensi, & Ludouico duce Bavariae; in quorum medio incessanter se manibus: & veniendo ad præsentiam regis, prostrati sunt ad genua, ubi idem Fridericus burgrauius nomine ipsius Friderici ducis Austriae & ad eius rogatum, dirigendo sermonem ad regem, dixit, qualiter auunculus suus Fridericus dux Austriae ibidem præsens, sibi supplicasset de intercedendo pro eo apud regiam maiestatem; videlicet quod de offensis quas sibi intulisset regiae maiestati, ac sacro Concilio Constantiensi ac personis ecclesiasticis, aut aliis personis temporalibus, nobilibus, ignobilibus, viduis aut orphanis, peteret a regia maiestate veniam & misericordiam, dans se & personam suam, dominia sua & bona totaliter in manibus & potestate ipsius domini regis, promittens se papam reducere velle, salvo tamen honore ipsius ducis Friderici, quod eidem papæ, neque suis secum venientibus, non inferatur vis in eorum propriis personis, siue bonis quæ secum apportauerint. His dictis, prefatus Fridericus dux Austriae dixit, quod ita peteret & humiliter supplicaret regiae maiestati, ipsum recipere ad veniam & misericordiam, ponens se & sua dominia & bona quæcumque in manibus & potestate ipsius

ANNO
CHRISTI
1419

regis simpliciter disponenda ad omnem suam voluntatem. Suppli-
cans tamen, quod papæ & suis secum reducendis, nihil fiat in per-
sona & rebus eorum quas adduxerint. Quam humilationem se-
renissimus dominus rex recepit, tangens sibi manum: & ulterius
manibus iunctis, idem dominus Fridericus dux promisit, nunquam
per se vel alium seu alios contra dictum serenissimum dominum
regem quo quis modo facere, sed sibi fidelissimus seruitor esse. Super
quo venerabilis vir magister Ioannes Abundi aduocatus nationis
Germanicæ, nomine omnium & singulorum petiit sibi fieri per
dominos Benedictum protonotarium, præpositum Albæ Regalis,
& Iacobum Rhodini protonotarium de Ianua, ceterosque no-
tarios & tabelliones ibidem existentes, unum vel plura, pu-
blicum vel publica, instrumentum seu instrumenta, ad dictamen
cuiuslibet sapientis, præsentibus ibidem dictis dominis prælatis,
abbatibus, doctotoribus & nobilibus, aliisque quamplurimis in
multitudine copiosa.

Effectus literæ submissionis ducis Austriæ, quæ scripta
fuit in Teutonico, & sigillo suo sigillata,
sequitur & est talis.

Nos Fridericus &c. recognoscimus &c. quod cum serenissimi
principis indignationem inciderimus, venimus in propria nostra
persona ad conspectum dicti domini nostri regis Constantiam. Et
nos, personam nostram, territoria, homines, ciuitates, fortalitia,
& quidquid habemus & tenemus, nihil excepto, ad suam rega-
lem gratiam dedimus & ponimus vigore præsentium taliter, quod
ipse nobiscum & cum eis facere & ordinare possit pro sua regalis
libito voluntatis. Quidquid etiam quælibet persona vel personæ
ecclesiasticæ vel sæculares, nobiles vel ignobiles, in quacumque
dignitate vel statu constitutæ, nemine excepto, contra nos habet
occasionem pro quacumque causa, nulla excepta, hoc totaliter
posuimus & dedimus in arbitrium dicti domini nostri regis, sic &
totaliter, quod quidquid ipse dominus noster rex inserit in hu-
iusmodi, ordinauerit & dictauerit pro sua voluntate per nos erga
quemlibet faciendum, quod istud facere & adimplere & finire
debemus absque omni dilatione & contradictione. Debemus etiam
& volumus facere & procurare, papam Joannem ad Constan-
tiam, seu alibi, quo dominus noster rex voluerit, præsentare
aut facere præsentari ad manus & potestatem dicti domini
regis & sacri Concilii, quod præsentialiter Constantiae celebratur.

Spe-

ANNO
 CHRISTI
 1455.
 Sperantes, quod iuxta verbum regium de super nobis factum, quod
 dictus papa Ioannes & omnes secum venturi Constantiam, aut ad
 alium locum deputandum, suarum vitæ & rerum ad eos pertinen-
 tium, quas secum ad huiusmodi locum duxerint, sint securi. Et si
 dictus papa Ioannes de papatu depositus fuerit vel cesserit, tunc in
 voluntate præfati Concilii stabit, quomodo eidem de statu suo pro-
 uideatur. Nos etiam volumus & debemus in hostagio Constantiæ
 manere, quo usque papa Ioannes Constantiam, aut alibi, quo præ-
 fatus dominus rex deputauerit, peruenierit, ut supra dictum est.
 Et quo usque omnes & singuli officiales, ciues & incolæ muni-
 tionum, ciuitatum & territoriorum in Suevia, Alsacia, parti-
 bus * Brisgoniæ, comitatu Tirolis circa Athesim, & valle dicta
 im Cal, præfato domino nostro regi & imperio sacro fidelita-
 tem promiserint & iurauerint ad sancta Dei euangelia ipsum re-
 spicere & sibi obedire, donec omnia & singula per nos totaliter &
 effectualiter facta fuerint & adimplenta. In quo & præfati domini
 nostri regis simplicibus verbis, literis aut intimationibus absque
 probatione alia debent cõtentari; aut quo usque idem dominus noster
 rex eosdem fidelitatum, promissionum & iuramentorum huiusmo-
 di per se vel suas literas nuntiauerit absolutos. Et in casu quo præ-
 missa in toto vel in parte non faceremus & impleremus, seu quomo-
 dolibet contraveniremus (quod Deus auertat) extunc præfatæ
 ciuitates, munitiones, territoria & homines nostri præfato do-
 mino nostro regi & sacro imperio totaliter deuoluantur, & dein-
 ceps eidem tamquam iusto ordinario & naturali domino suo subii-
 ciantur & obediant, nostra & cuiuslibet alterius contradictione
 non obstante, omnibus fraude, dolo & nequitia totaliter cessanti-
 bus in præmissis. Et istud ad omnem firmitatem promisimus nostra
 principatus fiducia, & ad sancta Dei euangelia iurauimus virtute
 huic literæ totum id quod supra scriptum est, faciendum & ad-
 implendum totaliter & cum effectu. Et in testimonium istius,
 sigillum nostrum ad literam cum matura nostra deliberatione
 apposimus. Et quia nos etiam istud præscriptum totum de no-
 stra propria & libera voluntate fecimus, propterea rogauiimus il-
 lustres principes, ducem Ludouicum, comitem Palatinum Rheni,
 ducem Bauariae, & Griffnum de Morey nostrum dilectum auun-
 culum, & burgrauium de Nuremberg nostrum dilectum sacerum,
 quod quilibet eorum suum sigillum ad testimonium omnium & sin-
 gularum præmissorum ad presentem literam apposuit, eosdem Lu-
 douicum &c. indemnes tenendo. Datum &c.

Concil. Tom. 29.

Q9

Super quibus lectura, publicatione, pronuntiatione & diffinitione siue condemnatione, dominus Ostiensis praesidens, & dicti quatuor nationum quatuor praesidentes, interrogati, an placeret, responderunt omnes, & primo Ostiensis, deinde nationum praesidentes, quod placeret. Et approbauerunt omnia praedicta.

S E S S I O I X.

In qua producebatur executio citationis contra Joannem papam vigesimum tertium:

DIE Lunæ decimatertia mensis Maii supradicta, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi supradicta, in qua praesidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. Cui sessioni interfuit serenissimus princeps Sigismundus Romanorum & Hungariae rex &c. cum suis nobilibus & insigniis regalibus. Et fuit cantata Missa de angelis, videlicet, *Benedicte omnes angeli*, &c. per reuerendum patrem dominum Robertum episcopum Saresbirientem nationis Anglicanæ.

Præsentibus ibidem reuerendissimis dominis, Joanne episcopo Ostiensi cardinali, &c. Angelo Laudensi, Francisco Venetiarum, Alamanno Pisano, Iordano de Vrfinis, Branda Placentino, Guilielmo sancti Marci, Antonio de Salancho, presbyteris, Amadeo Salutarum, Raynaldo de Branchasits, Ludouico de Flisco, Landulpho Barenzi, Odone de Columna, Francisco Florentino, & Lucido de Comitibus, diaconis cardinalibus, absentibus Petro Cameracensi & Antonio Aquileiensi cardinalibus, licet in ciuitate Constantiensi præsentibus. Quia Missa cantata, fuit cantatum officium, Exaudi nos Domine, &c. cum litanis, orationibus & collectis, cum euangelio, Erunt signa in sole, &c. ac hymno, Veni creator Spiritus, more solito. Quibus finitis, surrexit venerabilis vir magister Benedictus Gentiani, monachus ordinis sancti Benedicti, ambasidor studii uniuersitatis Parisiensis; & proposuit qualiter venerabiles magistri uniuersitatis studii Parisiensis recommendarent se præsenti Concilio Constantiensi, mittendo sibi unam literam, quam ibidem in medium produxit, cuius tenor sequitur inferius post lecturam aliorum, pro quibus sessio fuit deputata. Deinde surrexerunt honorabiles viri magistri Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis,

LUC. XI.